



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1562 usque ad annum 1563

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 9011860X**

§. 62. Synodus Londini habita, ac triginta novem illius articuli.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66641)

§. LXI.

*Scotiæ Regina sibi quamdam Eccle-  
siasticorum proventuum partem  
vendicans.*

Sæcul. XVI.  
A.C. 1562.

Ceterum indies magis adhuc turbatæ erant Scotiæ Regni res, eoquod Maria Regina ibidem parum auctoritate valeret, ac insuper variæ essent factiones, quibus Regnum misere scindebatur: hæc enim Regina utpote adolescens in Franciæ aula educata luxui, ac immoderatis sumptibus assueverat, cum autem ex Regio ærario, quod aliunde sat tenue, atque ex suorum Prædecessorum socordia pene exhaustum erat, eidem exiguæ suppeterent facultates, hinc eidem e proventibus Ecclesiasticis tertia pars adjudicabatur, ut exinde ad Regios usus expensæ fieri possent, necnon Protestantium Ministri alerentur. Verum id omnibus displicebat, nam Sacerdotes præprimis tantopere imminutos redditus suos querebantur, Ministelli vero hac liberalitate plurimum adjuti videbantur.

Thuan. l. 29.  
uum. 2.

§. LXII.

*Triginta novem articuli Synodi Londini celebratæ.*

Annus fluebat post Christum natum millesimus quingentesimus sexagesimus

Thuan. l. c.  
Cambden  
annal. Angl.

Y y 3

mus

Sæc. XVI.  
A.C. 1562.

mus secundus, in quo, ut Reginæ luxui modo iniquo satisfaceret, tot tumultus in Scotia suscitabantur, eodem autem hoc anno Elifabetha Regina Londini in Anglia Synodum convocari iussit, in qua fidei confessio triginta novem articulis comprehensa proponebatur. Ex his primi quinque consonant omnino cum fide Catholica circa mysteria: in sexto autem illi veteris Testamenti libri tanquam non Canonici rejiciuntur, qui non reperiuntur in canone Hæbreorum, ex novo tamen testamento omnes libri pro Canonicis agnoscuntur. In decimo asseritur, quod homo post Adæ lapsum non valeat se præparare ad fidem, nec etiam quicquam Deo acceptum agere absque Dei auxilio. In articulo undecimo justificatio attribuitur soli fidei, nihilominus in articulo duodecimo adstruitur, quod pia opera Deo sint accepta, utpote consecutiones, ac necessarii fidei effectus: ea autem opera, quæ Christi gratiam, & Spiritus sancti inspirationem præcedunt, peccata dicuntur. In articulo decimo tertio, & in sequenti pariter doctrina de operibus supererogatoriis rejicitur. In articulo decimo septimo prædestinatio vocibus admodum moderatis exponitur, observaturque, quod hæc doctrina curiosis carnalibus, ac Dei Spiritu vacuis non minus

minus afferat periculum, ac veræ pietatis hominibus conducat, & solatium largiatur.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1562.

In articulo decimo nono Ecclesia definitur, quod visibilis sit coetus hominum, qui purum Dei Verbum tradunt: eadem vero Ecclesia tanquam testis, ac Sacrorum librorum tutrix agnoscitur in articulo vigesimo, in sequenti autem Conciliorum generalium infallibilitas rejicitur: damnatur quoque in vigesimo secundo Ecclesiæ Romanæ doctrina circa purgatorium, cultum S. Imaginum, ac reliquiarum, & invocationem sanctorum. Articulus vigesimus tertius statuit, necesse esse, ut Ministri ab iis, qui vocandi potestatem habent, vocentur: in vigesimo quarto articulo approbatur, & commendatur usus preces in Ecclesia fundendi in lingua vulgari. In vigesimo quinto Sacramenta definiuntur, quod sint signa efficacia gratiæ, & benevolentiae Divinæ, per quæ Deus invisibiliter operatur in nobis, nostramque fidem excitat, & confirmat. In articulo vigesimo sexto declaratur, quod duo duntaxat dentur Sacramenta a Christo instituta, nimirum Baptismus, & Coena, cetera autem quinque non sint Sacramenta, sed falsæ imitationes quarumdam actionum, & Apostolicarum consuetu-

Sæcul. XVI fuetudinum, aut quarumdam vivendi  
A.C. 1562. rationum in sacris literis approbatarum.  
 Statuitur quoque in articulo vigesimo  
 septimo, quod infantium Baptisma ut-  
 pote Christi Domini institutioni confo-  
 num sit retinendum.

Circa Eucharistiam in articulo vige-  
 simo octavo asseritur, quod cœna non  
 sit nudum signum mutuæ charitatis in-  
 ter Christianos, sed Sacramentum no-  
 stræ Redemptionis per mortem Christi,  
 ut proin illi, qui digne illud cum fide  
 recipiunt, participent de Sanguine, &  
 Corpore Christi: rejicitur tamen trans-  
 substantiatio in articulo vigesimo nono,  
 ubi declaratur, quod Corpus Christi  
 non nisi modo spirituali per fidem de-  
 tur, recipiatur, & in Cœna manduce-  
 tur, ac juxta Christi Domini institutio-  
 nem hoc Sacramentum, nec asseruetur,  
 nec circumferatur, neque eleuetur, aut  
 adoretur: imo nec etiam impii, & scele-  
 rati Corpus Christi recipiant, quam-  
 vis corporis sui Sacramentum mandu-  
 cent. In articulo trigésimo præcipitur,  
 ut Eucharistia sub utraque specie trada-  
 tur; in articulo autem sequenti decla-  
 ratur, quod præter Crucis Sacrificium  
 non detur aliud. Articulus trigésimus  
 secundus statuit, quod Episcopis, Pres-  
 byteris, & Diaconis uxores accipere per-  
 missum sit. In articulo trigésimo quarto  
 dam-

damnantur homines privati, si ritus <sup>Sæc. XVI.</sup>  
Ecclesiasticos verbo Divino non contra- <sup>A.C. 1562.</sup>  
rios, atque publica auctoritate institu-  
tos, & approbatos infringere præsump-  
serint, particularibus tamen, vel Natio-  
nalibus Ecclesiis hosce ritus immutandi,  
vel abolendi facultas conceditur.

In articulo trigesimo quinto tomus  
secundus Homiliarum, necnon primus  
regnante Eduardo editus approbatur,  
simulque in trigesimo sexto articulo con-  
firmatur Archiepiscoporum, & Præsu-  
lum consecratio, necnon Sacerdotum,  
& Diaconorum ordinatio sub ejusdem  
Eduardi regimine præscripta: decla-  
ratur tamen, quod omnes hoc modo,  
atque suo abhinc regimine consecrati,  
atque ordinati censeantur legitime ini-  
tiati. In articulo trigesimo septimo  
Regiæ suæ Majestati adscribitur supre-  
ma potestas tam Ecclesiastica, quam  
civilis in omnes Regni sui Ordines,  
declaratur nihilominus, quod hanc po-  
testatem extendere non valeat in pote-  
statem annuntiandi Verbum Dei, vel  
Sacramenta administrandi, sed dunta-  
xat ad jus omnes Ordines tam Eccle-  
siasticos, quam profanos in suo officio  
continendi, & rebelles, vel non ob-  
temperantes castigandi. Præterea in  
articulo trigesimo octavo decernitur,  
quod Papa nullam in Angliæ Regno ju-  
risdictio-

Sæcul. XVI. jurisdictionem habeat. Denique in articulo trigesimo nono statuitur, quod rei poena mortis plecti, ac Christiani Magistratum jussu arma sumere, bellumque gerere licite valeant, eorumque bona non evadant communia, nec non licita sint juramenta. Hæc fuere addita contra Anabaptistas, & Puritanos.

Iidem hi articuli rursus Anno Christi millesimo quingentesimo septuagesimo primo confirmati, necnon in omnibus Regni comitiis, quæ postea fuere celebrata, innovati fuerunt. Tandem Elizabetha vivis erepta a Jacobo I. Rege Anno millesimo sexcentesimo tertio in Synodo a Londinensi Episcopo celebrata in Cantuariensi Provincia denuo approbati sunt.

## §. LXIII.

*Francisci Turnonii Cardinalis fata.*

*Ciaccon. vit.*  
*Pontif. t. 3.*  
*pag. 506.*  
*Thuan. l. 34.*  
*Sædol. l. 6.*  
*Es ep. 14*

Hoc item anno ad medium vergente Franciæ Regnum Cardinalem Franciscum Turnonium, præcipuum illius lumen, ac gloriosissimum veræ Doctrinæ Defensorem amisit. Hic Anno reparatæ salutis millesimo quadringentesimo octogesimo nono ex Jacobo Turnonio Comite de Roussillon, & Joanna de Poulignac natus, ac ab iisdem parentibus in Christianæ pietatis studio liberaliter educatus fuerat, unde vix duodecimum ætatis